



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1720**

Quæst. 174. An & qualiter subsistat Matrimonium sub conditione turpi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73973)

*Quest. 174. An & qualiter subsistat matrimonium contractum sub conditione turpi.*

**R** Esp. primò: De conditione turpi, quæ substantiæ bonisque matrimonii non repugnat, v. g. duco te, si mecum fueris: omnino idem dicendum, quod de conditione impossibili, nimirum quòd habeatur pro non adjecta, prout in *cit. c. fin. b. t.* expressè deciditur. Et sic in specie tanquam turpem rejici hanc: Si te in concubitu virginem invenero: tradit contra Sanch. Castrop. *loc. cit. §. 4. nu. 2.* eò quòd id nunquam intelligi possit de concubitu licito; cum is esse nequeat ante matrimonium, prædictus autem concubitus, utpote tanquam conditio postulatus ad matrimonium, necessariò illud præcedere debeat.

2. Resp. secundò: Condiciones turpes substantiæ bonisque matrimonii contrariæ (quales sunt, quæ cum vinculo matrimonii consistere nequeunt, aut contraveniunt obligationibus ex matrimonio ortis, v. g. contraho tecum ea conditione, donec aliam pulchriorem invenero, quæ repugnat perpetuitati. Ut te prostituas alteri, quæ pugnat cum fidelitate, ut sterilitatem procures, proles abjicias &c. quæ repugnat fini matrimonii) non rejiciuntur à contractu matrimonii, sed eum omnino vitiant juxta expressum textum *cit. c. fin. b. t.* Sic in specie conditionem nunquam reddendi debitum reddere matrimonium nullum; eò quòd hæc obligatio subsistere nequeat cum obligatione reddendi debitum, quam secum trahit matrimonium, tradunt Sanch. *l. 5. d. 10.* Laym. *l. 5. rr. 10. c. 7. num. 9.* Henriq. *l. 11. c. 4.* Covar. & alii. Negant tamen id ipsum Castrop. *num. 6.* Rebell. *l. 2. q. 10. f. 3.* Cõn. *d. 24. du. 4.* Hurad. *de matr. d. 7. diff. 9. num. 33.* eò quòd in sano sensu sumpta non repugnet matrimonio, quippe quod ex sua essentia includit obligationem justitiæ reddendi debitum, non nisi quoties legitime fuerit petitum; justè autem non petitur, si contrahens juri suo cessit simplice sua promissione vel voto. Et si contracto jam matrimonio mutuo consensu possunt cedere huic juri perendi, & ex ea cessione neuter obligetur alteri reddere debitum, poterit quoque à principio hæc cessio fieri. Neque enim qualibet exemptio à redditione debiti est contraria obligationi reddendi debitum ortæ ex matrimonio; aliàs contracto matrimonio ob unius fornicationem non liceret divortium, vel etiam ingressus in religionem ex consensu alterius. Neque etiam qualibet obligatio vitandi generationem prolis est contraria matrimonio, sed solum obligatio iniquè vitandi generationem. Ita Castrop. *num. 7.* Porro apposita conditione contraria matrimonio ab uno contrahentium, altero eam non acceptante, non vitari contractum, censent cum Covar. *in 4. p. 2. c. 3. §. 1. num. 11.* aliqui; eò quòd seclusa illa acceptance, nullam vim habeat, & rejecta censeatur. Contrarium censet Castrop. *num. 9.* cum Sanch. *l. 5. d. 13. num. 3.* eò quòd licet ab altero rejecta fuerit, nullamque habeat vim obligandi, denotet tamen apponentem illam velle sub illa tantum consentire, & non aliter; adeòque matrimonium non subsistat ex defectu consensûs.

*Quest. 175. An & qualiter tempus adjunctum contractui matrimonii per verba de presente vitiet illud.*

**R** Esp. non vitiat, sed suspendit matrimonium non secus ac conditio de futuro, usque dum adveniat; quia in utroque casu non est consensus perfectus ante adventum temporis, v. g. contrahis cum Maria in Quadragesima per verba de presente, illamque accipis in uxorem à die Paschatis. Ex hac assignatione hujus temporis, nimirum Paschatis constat, te nolle Mariam ante habere in uxorem, bene autem adveniente Paschate, Castrop. *p. 11. §. 5. n. 1.*

*Quest. 176. Causa seu demonstratio matrimonii, an obset ejus valori.*

**R** Esp. Causa vel demonstratio (sive ea sit honesta, sive turpis, vel etiam contraria substantiæ matrimonii, sive vera, sive falsa, ut Pirh. *b. r. n. 29.* citato Sanch. *l. 5. de matr. d. 19. n. 2.*) per se nunquam suspendit aut vitiat matrimonium; sed semper habetur pro non adjecta, v. g. contrahis cum Maria, quia credis esse uobilem, vel virginem, sterilem &c. quæ talis non est, aliàs non contra&urus, matrimonium tenet; quia causa nobilitatis, virginitatis, sterilitatis &c. existimata non est finis & objectum consensûs, sed causa illius motiva, cujus error est in aliis contractibus sit sufficiens causa dissolutionis; Secus tamen est in matrimonio, in quo solus error personæ jure naturæ illud vitiat, quia est error consensûs in objectum; & jure positivo error in conditione libertatis, tamen sit causa motiva. Unde non refert, quod non contraheret, si sciret talem demonstrationem vel causam non subesse; quia voluntas illa habitualis non influit, nec ponit aliquid in re; cum ea non obstante, modo actu & absolute consentiret, quamvis, si sciret, non consentiret, sed voluntatem mutaret, quod tamen nihil operatur in ordine ad actum presentem. Pirh. *loc. cit.* Contrarium est, dum est error circa personam vel conditionem libertatis; ut si dicas: contraho tecum, quæ es filia primogenita Petri, vel quæ est libera; tunc enim si non est primogenita Petri, vel libera, matrimonium est irritum, non ratione falsæ demonstrationis seu causæ, sed propter errorem personæ vel talis conditionis; cum etiam tali demonstratione, seu causâ non adjectâ, matrimonium ex tali errore contractum sit nullum.

*Quest. 177. An & qualiter modus adjectus contractui matrimonii illud suspendat aut vitiet.*

**R** Esp. primò: Si modus non est contrarius substantiæ aut bonis matrimonii, non suspendit aut vitiat illud. Sanch. *loc. cit. num. 5.* Pirh. *num. 30.* cum communi. Modus enim in hoc differt à conditione propriè dicta, quòd hæc suspendat actum, cui apponitur, ita ut is ante illam impletam non sit validus; modus verò non suspendat actum, sed is statim valet, & vim suam habet, etsi nondum talis modus impletus sit. *l. cum ab eo. ff. de contrah. empe.* ita